

Q. F. F. Q. E. I. D. O. M.  
DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De  
VIRTUTE MORALI  
IN GENERE;

QUAM

*Cum Consensu & Approbatione Amplissima Facultatis  
Philosophicae in Regia Academia Aboënsi,*

SUB DIRECTIONE

*Praclarissimi VIRI,*

DN. M. JACOB. FLACHSENI,   
Metaph. & Log. Professoris ordinarii celeberrimi,  
Fautoris & Promotoris sui grata memoria  
ætatem commemorandi,

*Publico Examini, Magisterij Philosophici  
Aditurus honores, modestè submitte*

MAGNUS L. BROCHIUS.

*In Auditorio Maximo ad diem 12 Majj boris consuetis,  
Anno post natum Christum clc lxxxii.*

ABOÆ,

---

Excusa à PETRO HANSONIO, Acad, Typog.





**H**ominem, quem universi hujus Amphitheatri Epitomen ac delictum natura, salutat Plinius, primitus in sanctitate justitia fide & integritate ad imaginem ipsius Dei conditum scimus; verum quam per exiguo temporis momento in summa hac perfectionis innocentia permansit, insuperabili nostro cum damno in caliginosissimo Satana ergastulo, nisi ineffabilis illa altissimi bonitas perditio & aternis supplicijs destinato generi humano affulisset, jam dudum experti essemus. Ut autem memores essemus ira Divina, qua justissima de causa super universum genus humanum arderet, duplici morbo vericacet à γνῶσις & appetitus ἀρετῆς, nos laborare fecit peccatorum nostrorum vindex justissimus, siquidem intellectum occupavit ignorantia, voluntatem vero infucavit malitia, unde divinum illud sapientia lumen in spississimas ignorantia tenebras, innata voluntatis bonitas in pessimos repugnantia Euripos, suavissima intellectus & voluntatis harmonia & conformitas in pernitiosissima libidinis dissidia transmutilata est. O miserandam igitur natura labem in qua nascimur & toto vita nostra curriculo tanquam ferocissima bestia grassaremur, nisi ex divinae suae misericordiae clementiae tanti mali medicinam, per imaginis suae exiguas illas reliquias in intellectu nostro reliquisset Deus omnipotens, qua tanquam favilla è cinere resuscitata gratia Spiritus Sancti & studio sapientiae, intellectum crassissima quasi rubigine obductum ita illuminant, ut recta illa ratio paulatim se erigere & libidiniosissimam voluntatis cum intellectu repugnantiam sub jugum recti dictaminis revocare possit. Unde saniores Ethnici licet verbo divino non fuerint collustrati, propria tamen mentis sagacitate ad tantum sapientiae clivum pervenere, ut vestigia illorum premere, Christiano homini vix indi-



gnum iudicamus, si autem omnia iuxta veritatis normam & amissimam  
non tetigerint, imbecillitati eorum grato animo condonabimus. In  
speculativis enim eo progressi sunt, quo beneficio luminis natura potu-  
ere, in civilibus autem officio & humanitate quid non prestisere? ut  
non immerito dixerit Cicero, nullum in universa philosophia esse lo-  
cum feraciorum, eo qui est de officiis. Probe namque cognitum ha-  
buit homines nulla alia re vel propius ad caeleste illud numen, quod  
etsi ignorabat qua ratione, tamen colendum scivit, accedere, vel fe-  
licivm societate hac civili vitam institueret, quam studio virtutis: etenim  
nihil tam altè in humana natura positum est, quo virtus non ascendat.  
Quare civibus olim Romanis lex etiam sanctissima erat, ne quis ci-  
vium Romanorum filium suum per plateas vagabundum & otiosum  
discurrere pateretur, sed à teneris annis ad virtutis studium, asvesci-  
eri curaret, secus qui fecerit & filius flagitii quid commiserit, pater  
pariter ac filius puniti sunt. Hinc Catonis Uticensis filius, quamvis  
is aetatis annum nondum impleverat, ex urbe & pomeriis civitatis,  
quod puella aquam petitura urnam ex petulantia juvenili fregerit,  
relegatus est. Tanta illo seculo erat severitas in errata joco admissa,  
quanta neququam hodie in scelera ex malitia perpetrata: & recte  
sane nisi veteres Romani tam duram & severam disciplinam paren-  
tibus mandassent, nunquam ad aureum illud virtutis & sapientiae fa-  
ctigium pervenissent. Nos itaq; qui gratia S. Sancti sumus illustrati,  
quam diligenti cura virtuti studebimus? Cum Ethnici beneficio luminis  
natura tantopere virtutis amore flagrant & nos exinde potissimum  
tabis nostrae admonemur. O virtus igitur exoptatissima! candidè  
te amplectemur lacertis! Tu mentem & voluntatem ab omni desiderio  
liberas, Tu hominem à pravis affectibus purificas, Tu es indissolubile vin-  
culum quo creator & creatura uniantur, tu miseros in arumnis suis  
auroas. Tu oppressos juvas & ad caelestia regna transfers. Quis te  
non magni aestimabit? Quis tui amore non flagrabit? Te qui habet,  
ille demum ad Rempublicam feliciter gubernandam, ad leges feren-  
das & explicandas, ad munera quavis obeunda idoneus est. Hanc  
ergo

ergo de virtute materiam, loco Speciminis publici, ad mandatum  
Amplissima Facultatis Philosophicae, sub eadem Disputationis ve-  
vocare, animus mihi est. Tu interim L. benevole conatibus meis  
faveto, & quod industria mea, angustia temporis plurimum prae-  
dite deest, id humanitate ac candido iudicio suppleto, sit itaq; in  
nomine Altissimi.

#### THEOREMA I.

Virtus Ciceroni à viro dicta, variae est acceptionis,  
UT melior ad definitionem realem pateat aditus, quæ-  
dam nominalem concernentia, præmittamus, ut præ-  
clare alicubi, Medicorum facile princeps Galenus monet.  
Quod ergo notationem vocis concernit, dicitur illa, qui-  
busdam, sed malè à vi vel violentia. Rectius, ut in thesi in-  
digitatur, Cic. lib. 2. Tuscul. Quæst. & Varroni lib. 4. de  
ling. lat. à viro venit. Aliis à virore appellationem habet,  
non quasi foeminae à participatione ejus arceantur, sed quod  
virum maxime deceat, cui majorem, natura contulit vigo-  
rem, unde antiquitus Fortitudinem, postmodum verò  
quemvis virtuosum habitum significabat. Pari modo Græ-  
corum  $\delta\pi\epsilon\tau\eta$   $\delta\alpha\delta\epsilon$   $\tau\epsilon$   $\alpha\pi\epsilon$   $\theta$  à Marte derivatur, & sic virtutem  
bellicam designat, aliis ab  $\alpha\pi\epsilon\theta\epsilon\mu\alpha\iota$  eligitur, tum, quod virtus  
vel maximè sit eligenda; tum quod vel  $\alpha\epsilon\alpha\iota\theta\epsilon\tau\iota\varsigma$  sit vel  
certè non sine  $\alpha\epsilon\gamma\alpha\iota\theta\epsilon\tau\iota\varsigma$ .

Quantum ad æquivocationem vocis virtutis, accipitur.  
1. Generaliter, pro omni eo, quod rem quamlibet bene dis-  
positam & affectam reddit. 2. Ratione subjectorum  $\alpha$ . in Ente  
infinite Eminentia quædam & perfectio simplicissima, virtu-  
tis nomine venit, ut cum Deus dicitur esse justus &c.  $\beta$ . in  
Finitis, Rationis expertibus insita quædam facultas aliquid ope-  
randi virt<sup>o</sup> dicitur, ut virtutes Herbarum.  $\gamma$ . In homine ubi ma-  
gis propriè collocatur & tum aliquando habitum infusum,  
ut cum fides spes & charitas virtutes appellantur, aliquando  
acqui-



acquisitum, qui vel corporis est vel animi, denotat. *Habitus* Animi in intellectualem vicissim dispescitur & moralem, isto seposito, in hujus naturam nunc mentis nostræ aciem infigimus & sequenti Theoremate definiemus.

THEOREMA II.

Virtus est habitus electivus, in mediocritate consistens quoad nos relata & ratione definita, prout vir prudens eam definierit.

Varia circumferuntur virtutis definitiones, inter quas potiores sunt sequentes. Vendel. Eth. l. 1. c. 3. th. 2. hoc modo virtutem Moral. definit. *Virtus est constans animi propositum vivendi secundum legem* Beatissimo Dn. Gullenstälpe Collegij Eth. disp. 3. est, *promptitudo in homine agendi secundum honestatis normam, qua affectibus omnibus tale iniungitur moderamen, ut tranquillus & beatissimus qui in hoc mundo haberi potest, status obtineatur.* Hæ definitiones cum ista Aristotelis ex l. 2. Ethic cap. 6. desumpta & in Theorem. posita, verbis solum discrepant, re ipsâ optime conspirant. Quid est enim constans animi propositum & promptitudo quædam in animo residens aliquid amplectendi vel repudiandi, aliud, quam habitus electivus, quo in agendo, ad aliquid sine difficultate præstandum, determinamur? receptam proinde illam Aristotelis tanquam commodam retinemus. Genus hic ponitur *Habitus Electivus*. Habitum virtutem esse omnes saniores norunt, ut mirum sit quid Bernardino Telesio id neganti, in mentem venerit. Est enim Qualitas in animo recidens ergo erit vel potentia vel affectus vel Habitus, priora bina de virtute prædicari nequeunt. *Non potentia*, quippe natura nobis inest, virtus vero non, neq; reddit nos bonos & laudabiles nec malos & culpabiles; *nec affectus*, qui repentini sunt motus sine electione & nobis vel invitis accidunt

eidunt adeoq; animum perturbant, erit ergo *habitus* & quidem *Electivus*, ut ab habitibus intellectualibus, corporis, naturalibus, temerariis, fortuitis & invitis distinguatur. Electio autem hic intelligitur perfecta, non imperfecta. Jacob. Mart. Syn. Eth. lib. 2. p. m. 62. *Differentiam* expriment sequentia verba *in mediocritate quod nos relata & ratione definita, sicut vir prudens eam definierit.* *Differentia* hæc non est desumpta à forma virtutis, ad quam respicientes quidam sic definiunt virtutem, quod sit habitus electivus, consistens in rectitudine legi Divinæ conformi, sed ab *immediato* ejusdem *adjuncto*, *vita enim nostra recta rationi seu legi*, verba sunt Iteri p. 78. *tum demum congruit, cum voluntas & appetitus, omnesq; ejus motus & affectus, ita intra officij limites continentur; ut nec ad excessum nec defectum vitiose deflectant*, hinc ergo patet mediocritatem & cum lege congruentiam tam arctè cohærere, ut unum sine altero nunquam esse aut existere possit. Arist. etiam mediocritatem rectitudine determinatam & ratione viri prudentis definitam requirit. unde vel eo nomine locum in definitione fortiri non incommode poterit, præsertim cum certum sit ejusmodi definitionum formas non esse inusitatas, ut loquitur Consult. noster Kempe in sua Ethica p. 74. conf. Iterum p. 83. dicitur in definitione, virtutem consistere *in mediocritate quo ad nos relata & ratione viri prudentis definita.* Quæ verba docent *Mediocritatem* hic non intelligi *Rei*, quæ ab utroq; extremorum secundum Arithmeticam proportionem, æqualiter distat, sed *Persona*, eo quod virtus alteri extremorum sæpe vicinior est & cum extremorum altero majorem cognationem habeat (justitia commutativa excepta) semperq; circumstantiis se accommodet in quibus vis omnis actionis consistit. Obiter etiam hic notari potest, virtutem dici & mediocritatem & extremitatem, sed diverso respectu. Prius ratione qualitatis & proprietatis essentialis, poste-



Posterius ratione quantitatis, vide Da. Pet. Giunghz Phil.  
Civ. Disp. 5. Thef. 5.

THEOREMA III.

Causa efficiens virtutis est vel universalis vel particularis. Illa Deus est, hæc interna vel externa, interna in animo & corpore residet.

In causis virtutis ordine exponendis, jam Bono cum Deo, occupabimur. *Causam Efficientem virtutis universalem* Deum esse etiam Ethnici agnoverunt. Cic. dicit. Nemo unquam magnus sine afflatu Divino extitit & Seneca Bonum virum à Deo ac nullam sine Deo mentem bonam esse ait. Particularis in *Internam* & *Externam* subdividitur. Interna vel in *animo* vel in *corpore* est.

In *animo intellectus est* & *voluntas*. *Intellectum* definit Dithmars. Syst. Eth. p. 88. Quod sit facultas naturæ rationalis à notitiis naturalibus naturaliter determinata, qua homo aptus natus est principia practica feliciter percipiendi atque ex illis conclusiones tum universales tum particulares elicendi. Principia Practica sunt ἀξιώματα generalia & universales ac indemonstrabiles propositiones discrimen honestorum & turpium continentes, quibus intellectus noster absq; ulla probatione assentitur quales sunt: Deus est colendus, Parentes sunt honorandi, nemo est lædendus, suum cuiq; est tribuendum. Ex his per ratiocinationem variæ eliciuntur conclusiones virtutum & vitiorum naturam indigitantes illarumq; exercitium, horum fugam svadentes: E. g. si Deus est colendus. E. ejus gloriæ omnia nostra studia impendenda. Si parentes honore afficiendi. E. illis obedire oportet. Si nemo lædendus, amicè ergo cum quibusvis vivendum &c. Si suum cuiq; tribuendum. E. probi debitis præmiis, improbi pœnis afficiendi. conf. Vendel. Phil. Mor. lib. 1. c. 4. *Voluntas* est facultas naturæ rationalis, qua ho-

MO CA 3

mo ea, quæ ab intellectu cognita & dijudicata fuerunt, sub ratione boni appetit, vel sub ratione mali averfatur, Dicitur hic α. *Voluntatem ab intellectu cognita & dijudicata appetere*: Ignoti enim nulla cupido. Intellectus proinde (à quo pendet voluntas) 1. rem cognoscit, 2. An amplectenda vel repudianda sit, dijudicat, 3. Eandem voluntati seu appetendam sub ratione boni, seu fugiendam sub ratione mali, demonstrat. Dicitur, β. *Sub ratione boni appetere & sub ratione mali averfari*. Duplex enim Actus voluntatis est appetitivus & averfativus. Actus voluntatis appetitivus est, quo voluntas appetit Bonum seu verum seu apparens, sub ratione boni. Actus voluntatis Averfativus est, quo voluntas averfatur malum seu verum seu apparens, sub ratione mali. Iter: Synop. Eth. p. m. 39.

In corpore residens causa virtutis est, tum *Bonum Temperamentum*, quod facit ad virtutis studium non ex toto sed ex parte, non principaliter, sed instrumentaliter; non necessario, sed contingenter vid. Dithm. Syst. Eth. p. m. 99. & seq. & Vendel. Phil. Moral. l. 1. c. 4. p. 337. tum *sanitas corporis*, quæ egregium est instrumentum ad externos virtutum actus exercendos, sicut è contra corporis ægrotudo impedit virtutum actiones. Vend. lib. 2. c. 4. p. m. 609.

THEOREMA IV.

Externa virtutis causa duplex etiam est, remota vel propinqua; illa educatio moralis audit, hæc exercitatio vel bonarum actionum frequentatio.

Quantum momenti ad generandam virtutem habeat educatio (quæ est disciplina in animi informatione consistens ut scilicet intellectus vera cognoscat & voluntas bene agat, quam *causam externam remotam* virtutis in Theoremate dicimus) vix omnium est effari. Utilitatem hujus & necessita-

B

tem



tem agnovit Crates ille apud Plutarchum, qui citante Ven-  
 delino Phil. Mor. lib. 1. c. 4. pag. 239. Si possem, inquit,  
*audiri ab omnibus hominibus conscenderem turrim & clamarem quo-*  
*zuis homines, qui colligitis & corraditis nummos & interim educa-*  
*tionem liberorum negligitis?* Instructio enim hæc adeo est ne-  
 cessaria, ut sine ea juvenum natura non solum mutila sit &  
 manca, sed etiam quavis bestia intractabilior. Quare & il-  
 læ resp. optimè valent ubi viget optima adolescentum edu-  
 catio. Unde Diogenes Pythagoræus quærenti, quodnam  
 sit fundamentum totius Reipublicæ? Respondit: Adolescentum  
 educatio. Educatio vero hæc juxta Dithm. pag. 90.  
*duplex est: Amica & aspera. Amica* in tribus consistit 1. *in*  
*propositione salutarium præceptorum*, juxta quæ omnis actio de-  
 bet institui. 2. *in ostensione exemplorum* hominum honeste  
 agentium. 3. *in spe præmiorum*. *Aspera* in increpatione &  
 objurgatione consistit, quâ si errans minimè movetur, se-  
 quitur pœna. vid. Dith. l. c. hæc fusius persequentem. Tan-  
 tum de causa remota; sequitur propinqua, & immediata,  
 quæ *actio est humana* habitum virtutis, non subsequens sed  
 præcedens, vel crebra moralium actionum iteratio. Ut  
 enim fabricando fabri, ita justas ac liberales actiones exer-  
 cendo justis ac liberales evadunt. Crebræ atq; sæpe iteratæ  
 sint hæ actiones necesse est, sicut enim una hirundo non  
 facit ver, ita nec una actio habitum, aliquando tamen pau-  
 ciores ad virtutem sufficiunt actiones, cum scilicet animus  
 agentis ad virtutem magis dispositus est, & actiones satis  
 validæ sunt. Ex actionibus enim crebris vel paucis bene  
 validis habitus creatur. Valor quippe paucitatem facile re-  
 compensat, ut cavitas in lapide oritur vel à multis guttis  
 vel à re solida paucis ictibus.

THEOREMA V.

Materia virtutis est vel in qua vel circa quam;  
 illa voluntas, hæc affectus sunt.

Dux

Dux præsentis Theoremate expediuntur quæstiones, pri-  
 or est de subjecto inhaesionis virtutis; altera de subjecto oc-  
 cupationis: Materiam quippè proprie dictam, ut alia acci-  
 dentia, ita & virtus respuit. Quantum ad priorem, discre-  
 pant de ea inveniuntur opiniones. Quidam enim exi-  
 stimant virtutem moralem subjectari in appetitu sensitivo,  
 quidam in voluntate. Nos posteriori subscribimus ob se-  
 quentes rationes. 1. Quod est subjectum libertatis pri-  
 mum, illud etiam illorum habituum, ob quas laudamur vel  
 vituperamur, primum subjectum erit: laudari enim & cul-  
 pari respectum involvit ad libertatem agendi; at voluntas,  
 non Appetitus sensitivus est primum subjectum libertatis.  
 E. 2. Omnis habitus Electivus subjective est in voluntate,  
 virtus moralis est talis. E. Accedit 3. & hoc quod voluntas  
 sit indeterminata non tantum ad opposita, sed etiam in  
 modo agendi rectè scilicet & non rectè. Indiget ergo a-  
 liquo determinante ad rectè agendum, quod nihil potest  
 esse aliud quam virtus moralis. Interim non inficiamur,  
 ad appetitum sensitivum quoque aliquo modo pertinere  
 virtutes morales, quia in ejus *actibus* emendanda occupan-  
 tur. Vend. p. 94. Beat. Dn. Gyllenst. Coll. Eth. disp. 3. th. 18.

Quod posteriorem concernit quæstionem, de objecto  
 virtutis, sciendum est illud duplex esse; internum & propin-  
 quum vel externum & remotum. Internum & propinquum  
 sunt *Affectus, Appetitus sc. sensitivi passiones, orta in corde ob noti-*  
*tiam objecti à phantasia monstrati vel boni vel mali, ut illud conse-*  
*quatur, hoc vero fugiat.* Alias motio cum non naturali corpo-  
 ris mutatione etiam dicitur. Sicut autem dux sunt Appetitus  
 Sensitivi partes: una qua bonum appetimus malumq; aver-  
 samur, altera qua malum & noxium propulsamus, quarum  
 illa concupiscens, hæc irascens nominatur: ita & ipsi affe-  
 ctus, pro partis utriusq; diversitate generaliter distingun-  
 tur,

B 2

tur,



tur, specialis enim distinctio ab objecto cujusq; est petenda. In univcrsum numerari solent undecim: sex in *concupiscente*. Quinq; in *irascente* se exerentes. Circa hos, occupata est virtus, non tollendos & plane averruncandos, sed rationis fræno domandos, temperandos & moderandos. Externum & Remotum, quod prius illud comitari plerumq; solet, sunt voluptas & dolor, vid. Jacob. Mart. p. 99.

THEOREMA VI.

Forma virtutis est *ὁρθότης* non *μεσότης*. Finis est, cui vel *εὖ*.

Sicut materiam non agnoscit virtus propriè ita dictam, ita nec formam, sed analogice saltem ut per formam non intelligatur aliud quam norma vel mensura, juxta quam virtus erit conformanda; Illam cum B. Meisn. p. 1. Ph. Sob. Sect. 2. p. m. 481. alijsq; exquisitè eruditionis viris statuimus *ὁρθότητα* vel congruentiam cum lege Divina. Ubi tamen legis divina nomine non tantum venit ea quæ tabulis lapideis vel libro, sed & quæ cordibus hominum est inscripta & principia practica complectitur. In hujus sententiæ veritatem sic licet argumentari. Quod rem aliquam constituit & ab alijs distinguit, id ejus est forma; *ὁρθότης* virtutem constituit &c. E. ejus est forma. Major sua luce radiat, Formæ enim est dare esse rei & distingui. Minor nec neganda, ipsa enim quidditas & essentia Actus boni vel virtutis Ethicæ consistit in illa cum lege convenientia, sola namq; hæc facit, ut actus indifferens limitetur ad bonitatem: sola etiam hæc intrinsecè & essentialiter distinguit actus bonos à malis, virtutem à vitio, nec ex ulla alia regula pronunciat Deus de Bonitate & malitia Actionum, unde ad legem perpetuo hominem revocat. Pertinet huc insignis Psal. 119. ubi nullam aliam regulam actionum agnoscit David, præter legem Dei, ita & 1. Joh. 3. v. 4. peccatum definitur *ἀνομία* vel transgressio legis, tanquam norma

normæ & regulæ omnium factorum. *Mediocris* in qua Aristoteles & tota fere Peripateticorum cohors, virtutem collocant, quod attinet, certum est illam necessario ad virtutem requiri, ipsamq; à vitio distinguere, sed non à priori ut Essentiale constituens, verum à posteriori ut essentialè consequens, ideoq; esse non dat, sed declarat, Non enim bona est actio primò, quia in medio, sed contra, in medio consistit, quia bona & legi consentanea, firmiter ergo hinc concluditur *ὁρθότης* formam virtutis esse, *μεσότης* formæ proprium & essentialè consequens, Meisn. loc. cit. Finis virtutis moralis est *ὁ καλὸς*, Finis cui, est homo; cujus, est vel absolute summus, gloria scilicet Dei, in suo genere v. summus est S. Boni consecutio ejusq; consequens, tranquillitas in hoc mundo status. hæc de definitione & causis virtutis. Sequitur distributio, & partes.

THEOREMA VII.

Species virtutis duæ sunt: *Pietas* & *Probitas*; illa erga Deum, hæc erga nos & alios exercetur.

De divisione & numero virtutum non uno modo sentiunt Authores. Stoici enim ut est apud Plutarchum in libello de virtute morali, dixerunt: Unam tantum esse virtutem sed habere varias appellationes, secundum varia objecta, circa quæ versatur, & varias actiones quas producit, sed hæc opinio se ipsam refutat, ubi enim diversa & varia sunt objecta, varij item actus, ibi non est unitas specifica, generica conceditur. Cicer. 1. off. Quatvor Cardinales virtutes recenset: Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem & Temperantiam. Sed miscet imprimis virtutem intellectualem Prudentiam cum moralibus, deinde universam virtutem justitiam cum virtutum speciebus, Arist. lib. 2. Eth. c. 7. undecim ponit, quæ ibi possunt videri. Nobis divisio in Theoremate posita videtur



ter satis concinna & accurata, qua omnis moralis virtus ad  
duo quasi summa refertur capita, *Pietatem* & *Probitatem*.  
Ratio distributionis petita est à duplici objecto virtutis, circa  
quod immediate versatur, Deo & homine, illum respicit  
*Pietas* hunc *Probitas*. Huc etiam tendit Decalogi in duas ta-  
bularum distinctio. Omnis ergo virtus immediate Deum attingens  
est *Pietas*. Hominem *probitas*. *Dirigit autem probitas*  
*vel in ordine ad nosmetipsos vel alios, qua in ordine ad nosmetipsos,*  
*dirigit vel affectus vel conversationem.* Verba sunt Itteri p. 87.  
*Quae affectus dirigunt, vel circa metum occupantur, ut fortitudo,*  
*vel circa desiderium voluptatum, ut temperantia, divitiarum, ut*  
*liberalitas & magnificentia, honorum ut modestia, & magnanimitas*  
*vel circa iram ut masvetudo. Quae dirigit conversationem, respicit*  
*vel jucunditatem in rebus seriis ut humanitas, locosis ut urbanitas*  
*vel veritatem ut veracitas vel reticentiam ut taciturnitas. In or-*  
*dine ad alios, dirigit nos iustitia.*

THEOREMA. VIII.

Graduum intuitu virtus est vel inchoata vel perfecta vel Heroica.

Et si virtus absolute quoad suam essentiam considerata non  
recipit magis & minus & sic neq; gradus, quatenus tamen in  
subiecto recipitur gradus admittit, quia multa ad virtutis in  
subiecto introductionem & in eo radicationem concurrunt,  
quae uno momento non adsunt. Tres autem sunt notabiles  
gradus virtutis in uno subiecto, ut loquitur Consultiss. noster  
Kempe Eth. p. 75. *a. Est incipientium scilicet gradus continentiae*  
*ad quem inchoata virtus refertur cum affectus & cupiditates inordi-*  
*nate masculè se opponunt rationi, nec nisi invitè subiciuntur. b.*  
*Est Proficientium & Perfectorum dum pacatiores sunt & magis re-*  
*pressa, nec ita vehementes, huc consummata virtus spectat. c. Est*  
*Heroicum & perfectissimum quando Affectus ita domiti sunt & sub-*  
*jugati, ut vix aut rarissimè sese rationi seu dictatori opponant. Cum*  
*virtus*

*virtus imperfecta* sit virtus nondum ad habitum perfectum pro-  
ducta, tot species ejus constitui possunt, quot sunt virtutis  
perfectae, commode tamen ad continentiam & tolerantiam,  
cum Aristotele, revocantur, *Internum* objectum *continentiae*  
& quidem *primarium* est cupiditas gulae & veneris, volupta-  
tisq; inde natae. *Secundarium* cupiditas opum honoris &c. &  
voluptatis exinde orta. *Externum* objectum *Primarium* sunt  
res venereae & gulosae. *Secundarium* res quae vis suaves & ju-  
cundae. Objectum *Tolerantiae* Externum sunt dolores & molestiae.  
*Internum* v. irascendi Appetitum esse volunt. vid. Excell. noster  
Kempe p. 79. virtus Heroica etiam totuplex est quotuplex ipsa  
virtus, nempe Heroica liberalitas & magnificentia. Heroica  
modestia &c. vid. Itter. p. 203. Opposita tam virtutis imper-  
fectae quam Heroicae vid. apud Consult. Kempium & alios,  
nos brevitati studentes illa consultò omittimus.

THEOREMA IX.

Virtuti opponitur vitium morale, quod est ha-  
bitus electivus à mediocritate aberrans.

Contrariorum eadem est scientia, ergo non sufficit solum-  
modo dixisse de natura virtutis, videndum quoq; sed paucis  
quid vitium sit: Aliis definitur vitium promptitudo in homi-  
ne male agendi contra honestatem & rectae rationis normam,  
qua affectibus sua permittitur licentia, adeoq; vel in excessu  
vel defectu peccatur. Sed eodem res recidit, confer, quae  
notavimus ad definitionem virtutis: Vitium dicitur 1. *habi-*  
*tus Electivus*: Non itaq; vitium est ubi vel semel vel ex affe-  
ctu aut imbecillitate aliqua quispiam impingit, sed dum ita  
comparatum cum animo, ut quod facit deliberato faciat, ut  
potè actionibus ejusmodi affectus 2. *à mediocritate aberrans*  
consistit autem illa aberratio vel in *excessu* vel *defectu* cum  
virtus in medio sit posita, ad quamcunq; igitur partem extra  
medium deflexeris, aberraveris; hinc in defectu illinc in ex-  
cessu.



cessu. Excessus & Defectus interdum unum, interdum & quidem plerumq, duo diversa vitia & habitus constituit. Uno vitio comprehenduntur tam excessus quam defectus quando una & eadem actio plus & minus habet, ut in injustitia apparet. Duo distincta vitia oriuntur, quoties distinctæ actiones sunt, quarum una tantum excedit modum, altera tantum deficit, ut fit in cæteris vitiis omnibus.

*Tantum pro instituti ratione de hac materia.*

*Soli Deo Gloria.*

---

*Probitate morum, ingenij elegantia ac humanioribus studiis conspicuo VIRO-JUVENI,*

**DN. MAGNO BROCHIO**, Patricio Aboënsi ac Regiæ hujus Academiæ Secretario fidelissimo, pro honoribus in Philosophiâ summis dissertationem solennem publicanti hoc Epithe remate gratulari volui:

*Ingenuos juvenes, Sophicis pallefcere chartis  
Dum videt, ac scriptis laudem sibi querere Pallas  
Ingeniosa, meus quid agit studiosus alumnus  
MAGNUS, ait, BROCHIUS, quem Castalis atq, sorores  
Thespiades multos enutrivere per annos  
Qui Musas inter genitus, cum laude parentis  
Majorumq, simul clarus, studiisq, vehendus  
Ad Jura Parnassi, merito exornandus honore est.  
Audiit has voces, aurem queis vellit Apollo,  
Festinatq, suos felicis prodere fetus  
Ingenij, ut monstret dignum se talibus ausis.*

*Tum vero plaudente choro & Permesside lauro  
Concinuere Dea & felicia carmina nostro  
Fuerunt, stellis resonantibus, omnia dixi  
Fausta canant: fiant feliciter omnia: Salve.*

Curis pluribus impeditus L. tamen Mq;

**MARTINIUS MILTOPÆUS**  
Acad. Ab, h, t, Rct.